



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 5. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum locum. v. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

ut veniens Dominus, dilectus meus, in hortum suum inveniat & comedat fructum pomorum pacis. Sit pax Hispanos inter & Gallos, Lusitanos & Castellanos, tollatur discrimen nationum non sit in Ecclesia ego Cepha, ego Apollo, ego Pauli &c. comportent se omnes ordines religiosi, clerici, secularis regularem, & regularis saecularem ne spernat, fiat pax in virtute tua Iesu.

§. 5. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, v. 2.

Ne Christi Domini egressus ab urbe videretur esse species occultantis se & subducentis contra prodicionem discrete addit per egressionem illam non fuisse impeditam prodicione quoniam proditori illud diversorium Domini erat notissimum ex consuetudine crebra Domini.

O Sancte Dei historice Luca, tu certe insignis es medicus non tam corporum quam animorum; nam praevidens periculum discipulandi de quaestione, quomodo Christum nocte ex urbe digressum potuerit audax Dux sceleratorum reperire, causam das & imponis emplastrum vulnere nostro, nempe locum illum probe notum fuisse Iudae. Gratias ago tibi praevide scriptor.

§. 6. Quia Iesus frequenter convenerat illuc cum discipulis suis, v. 2.

Etiam causam ex qua proditor locum illum Dominicae mansionis novisset, indicat, dicens quod intrare solebat hunc hortum cum discipulis ad orandum, post labores, post conciones, post diem Hierosolymae exactum. Unde bene intelligo Christum Dominum revera magnas saepe adversitates & inopiam acerbam tolerasse. an non enim magna molestia est fatigatum diurnis actibus noctem in aliquo horto suburbano, qui omni re culinaria destitutus erat, diversari sub Iove frigido? si itaque magister ita pauperrime vixit quomodo non & discipulos pauperem vitam duxisse est putandum? Verè Dominus noster Iesus Christus Apostolicae paupertatis fundator nuncupatur, quam ita ipso exemplo stabilivit & suos discipulos adeo exercendo assuefecit, & tamen illi ipsi in caena interrogati apud S. Lucam, an aliquid eis aliquando defuisset, dicebant candidè: *nihil* possumus etiam considerare in eo quod Dominus cum discipulis frequenter eo convenerat Dominum in suburbano loco scholam quandam vel academiam ad modum Philosophorum Athenis constituisse, ubi liberae strepitu civitatis philosophari possent cum ijs qui ad audiendos eos venirent.

Quis